

talium corporum resolutionem, similem in corpore producentium, facile excitari possit; de illis hac vice brevitatis causa non medice, sed historice agam, & solum ad *Historias* obsidionum Rupellensis, Haerlemensis, Lugdunensis in Batav. ut & ad doctiss. FORESTVM (g), ceu, de luctuosis istis rebus, expertum provocabo.

§. XVIII.

Quoad sanitatem itaque incolarum, non solum sartam conservandam; (h) sed & quoad morbos aut praeservandos aut curandos omnium praallegatorum sex rer. n. n. usus ad consuetudinem quidem, pro posse: tempore vero morborum epidemicorum imminentium vel praesentium ad arctiores, morbo cuivis convenientes limites, redigendus. Ante omnia aëris vitia, aliaque contagii receptacula, quantum possibile fugiantur & emendentur. Evitetur quoque in utroque casu, ne hortorum, aedium, paludum, piscinarum &c. recrementa, animalia mortua, vestes, lintea detrita contagioque saepe inquinata, stramina, usui aegrotantium, vel morbis contagiosis mortuorum adhibita, in vias publicas, puteos aquas praeterfluentes, rejiciantur. Utpote quae vel ad foetorem, putredinem solum disposita, vel contagium actu in se recondentia, insigne damnum, contagii & morborum contagiosorum disseminatione inferre possunt. Ob quam quoque causam, pro posse vitandi sunt, sanorum praesertim timidorum cum aegrotis, in uno lecto, conclavi, &c. decubitus, contubernium, vel reliquorum utensilium usus promiscuus. Nam contagiosorum morborum praeservatio, modo praedicto, necessariisque remediis sub divina benedictione optime fieri potest, & eo magis necessaria est, quo certius a levi eorum contagio [vel unica contagii causa relicta & neglecta, pernici-

(g) Observat. & curation &c. variis praesertim in libris de febribus malignis, pestilent. &c. (h) Wolff, Polit, §. 381.